DE DILATATIONE
PELVIS HALISTERETICAE,
IN PARTU BIS OBSERVATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
QUAM
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT ET
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
DIE XII. MENSIS IULII MDCCCLIX
PUBLICE DEFENDET

FRANCISCUS ROBERT
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
P. KILIAN, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
I. RHEINDORF, MED. ET CHIR. DD.
B. OEBECKE, MED. ET CHIR. DD.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.
MDCCCLIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

H. F. KILIAN

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO.

VIRIS SIBI UNICE CARIS

ANTONIO ROBERT

PATRI OPTIMO

ET

REINERO LÜTZENKIRCHEN

MARCODURANO

MED. ET CHIR. DR. PRACT.

AMICO DILECTISSIMO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

DE

DILATATIONE PELVIS HALISTERETICAE,

IN PARTU BIS OBSERVATA.

Postquam illustrissimus Kilianus, quem magistrum meum colo, novissimo suo libello de pelvis halistereticae in pariendo mollitia et expansione tam perspicue disseruit ac quibus sententias suas illustraret decem attulit facta planissime comprobantia, arrogantiae paene crimen in discipulum me cadere possit idem gravissimum argumentum dissertatione mea inaugurali tractantem. Sed cum rara mihi fortunae benevolentia duo oblata sint facta, quorum alterum ipse auctore et duce observavi patre meo, qui in rebus obstetriciis valde probatus uberrima triginta annorum utitur experientia, alterum summae debeo liberalitati Merremii, qui est Coloniae a consiliis interioribus rei medicae: ut veritati et doctrinae tam finitimis pro viribus inserviam, pietatis debitae esse arbitror hoc loco uberius me illa narrare. Quo munere eo iustius fungi mihi videor, quod parum adhuc tractata in literis materia illa multos eosque doctissimos, qui totam Lucinae dederunt vitam et quasi consecrarunt, viros halistereticarum pelvium mollitiam et expansionem incertis quidem et ignotis adhuc nobis conditionibus in partu conspicuam, qua ipse partus edi possit, in res fabulosas et prorsus inanes reiicere videmus. Nec pauca profecto in factis, quae fusius statim exponam, inopinata ac vel tironi apertissima apparuere phaenomena, ut haud ingrato forsitan

animo, quas ad mutationes halistereticarum pelvium pariendo confectas paululum divulgandas afferam, primitiae accipiantur. Ac cum naturae phaenomena nova in dies nobis occurant variaque, etiam nostra quae accuratissime et verissime — quo vix opus esse videtur promisso — narrabuntur argumenta non nihil proprium ac peculiare animo diligenter inquirenti praebent; et quod ipse patre adiuvante observavi etiam latius patet factum, *quo primo - quoad adhuc de hac re usu observatum est — idem in una eademque femina phaenomenon rarissimum bis apparuerit.* Qua de causa negligere hoc nefas habeo.

Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum, quod natura faciat aut ferat.

Baco.

Tantum vero abest, ut in phaenomenis, quibus potissimum pelvis halisteretica cognoscitur describendis multum verser, quod exiguis his primitiis alienissimum duco, ut statim ad narrandos me convertam duos illos partus, qui apertissime nos docent pelves, quas dixi, conditionibus ne paululum quidem perspectis in partus discrimine saluberrima quadam virtute portas valde coartatas et paene praeclusas miro modo latissime aperire, ut foetus tam periculose adhuc a mundo seclusus in lucem prodire possit. Iam priori loco factum a me XV d. Jan. m. anni MDCCCLVIII observatum, cui maior insit vis et auctoritas, exponere me liceat. Pertinet autem ad Kau uxorem Brenigiae apud Bonnam habitantem, in qua rarum illud magnae mollitiae et expansionis phaenomenon iam semel II d. Mart. anni MDCCCLVII exstiterat. Cuius feminae superiores graviditates et partus quae attinent, e Kiliani nostri, quem iam memoravi libro pe-

tita summatim afferre mihi liceat adiectis nonnullis quae memoratu digna videntur momentis.

Barbara Kau uxor e decem adhuc vivis liberis minima natu filia firmissima ab infanti valetudine fruebatur; forma eius procera ac gracilis erat; ex decimo septimo anno menses ei bene fluebant. Mirandum sane videtur, quod eas solas halisteresi affici videmus feminas, quae ab infantibus valetudine integerrima florentes procera pleraeque et firma statura excellunt; quas virtutes tam diligenter quasi eligere videtur morbus, ut nullum omnino pateat exemplum, quo feminam parvae ac tenerae staturae hoc malo correptam esse docemur. XXI aetatis annum agens cum marito suo nupsisset, quem tum amplius 2″ statura superabat, quinque peperit liberos et tam facili negotio, ut obstetrix arcessita plerumque serius veniret quam ut auxilio petito adiuvare eam posset. Unde comprobatur, omnes omnino quae halisteresi absumuntur feminas, cum ante morbum exortum pelvibus optime formatis et magnis usae facillimo negotio et celerrimo partus ediderint, morbo iam diu affectas maiori demum labore et cruciatu parturire. Anno autem MDCCCXLIII Kau uxor tertium gravida primum acerbissimis in regione lumbali, humeris, brachiis vexabatur doloribus, quos tamen post puerperium mox ablatos haud amplius respexit; anno MDCCCL una cum graviditate dolores exorti eo vehementiae augebantur, ut fulcra adhibenda essent, quae morbi saevitia post partum lenita amoveri licuit. Sed anno MDCCCLIII cum miserrima mulier rursus peperisset, apertissima exstitit columnae vertebralis incurvatio ac manifesta staturae deminutio, quae inde ex hoc tempore et paenultima potissimum, quam mox describemus, eius graviditate in dies aucta tantam magnitudinis quasi decrescentiam effe-

cit ut Kau uxor anno MDCCCLVII $4^1/_2$'' marito minor facta $6^1/_2$'' igitur magnitudinis suae matrimonio amisisset. Cuiusmodi deminutio in dies augescens qua totum corpus corugatur paene pumilum num altero adhuc exemplo observata est? Ac paenultima graviditate exoriente satis bene se habuit mulier, ut domesticis negotiis curam impendere posset, sed inde ab Decemb. anni MDCCCLVI aegrota conclavi, etiam lectulo detinebatur cohabitationibus valde indolescentibus. II d. Febr. anni MDCCCLVII primis doloribus e partu manifeste exortis obstetrix explorans cum pelvim conspicue coartatam esse primum cognosset, nullo tamen impedimento intra arcus ossium pubis ramos digito iam penetrare potuit. At valde profecto mutato rerum statu uno mense post partus ipse incipiebat. Etenim vix ei contigit, ut digitos indicem et medium in longum porrectos paululum tantum arcui immitteret; transversis vero digitis nullum omnino inter arcus ossium pubis ramos rimatim connexos locum dare potuit. Nonne igitur mire intra vix quatuor hebdomades res erant mutatae? Deinde qui arcessitus erat Klaes doctor dimidio digito indice intruso os uteri attingere nequivit. Quare pelvi tam abnormi forcipe vel natura partum perfici non posse ratus, Bonnam profectus est collegam quendam qui sectionem quam necessariam putabat adiuvaret, celerrime arcessitum. Sed redeunti ei maritus gaudio exsultans obviam currit: omnia transacta et infantem etsi mortuum naturae viribus expulsum esse. Gravissimo enim dolorum impetu et pelvi manifeste expansa cum foetus caput celeri motu per pelvis introitum penetrasset, maxima eius pars in cavernam sacri ossis consedit, quod mollitum maxime extendi ac cranii formae accomodari videbatur. Oblectamentis deinde adhibitis cum parturientis vires

satis essent recreatae, caput vehementibus quos pulveres incitantes auxerant doloribus perinaeum premere, os coccygis prorsus mollitum reprimere, arcu ossium pubis aperte extenso satis celeriter apparere. Reliquum infantis corpus et placenta prorsus soluta mox secuta sunt. Infans mortuus plane maturus, solidi capitis ossa nulla pressus effecti vestigia praebuerunt. Magna feminarum quae halisteresi laborant fecunditate uxor haud multo post puerperium vehementissimis artuum doloribus prospere defunctum rursus gravida facta est.

Unde denuo violenti illi exstiterunt dolores, qui tunc in os sacrum potissimum quasi colligi videbantur sub graviditatis exitum periculose crescentes. Ipsa autem mulier staturam iterum deminui sentire se putabat, quod certis me indiciis accuratius exponere non posse vehementer doleo.

Nobis deinde locum nactis vespere XV. d. Ianuar anni MDCCCLVIII obstetrix, quae uxoris proximum quoque partum adiuvans raram pelvis mollitiam et expansionem observaverat, quae adhuc contigerant haec narravit. Iam e duobus diebus identidem ad mulierem graviter parturientem arcessita erat; priori die quae propter angustiorem pelvim summo tantum negotio summisque doloribus institui potuit exploratio ex mutationibus in uteri inferiori segmento et ore exortis partum quidem imminere, sed nondum incepisse docuerat. Praeiacentem infantis partem attingi non licuit. Matutino XV. d. Ian. tempore iterum maiori diligentia explorans, quod tum observati pelvis status meminisset, eum nunc iam multo deteriorem factum esse cognovit. Namque si tum extremo digito indice explorantis manus in arcum ossium pubis penetrare eam licuerat, nunc id ipsum minimo

tantum digito magna virium contentione adhibita vix effici potuit. Infantem supra pelvis introitum summo negotio ac magno parturientis dolore attingere quidem potuit; at veram eius naturam examinari non licuit. Inter dolores membranae ovi multo amnii liquore completae per os uteri in thaleri formam dilatatum, cuius anteriora labia iam crassa ac tumida erant, descenderunt. Omnibus vero quae ad dolores augendos valere poterant nullo successu adhibitis, etsi os uteri nondum plane dilatatum erat, sub hora II. merid. adducta est ut membranas ovi diffinderet, cum liquore amnii defluente uteri latera foetui artius adiacentia validiores et efficaciores procreatura esse dolores speraret, quibus infans vitata omni obstetricia operatione natura emitteretur. Quae spes prorsus eam fefellit. Intendebantur quidem liquore amnii amoto statim paululum dolores ita ut parturiente maxime adiuvante infantis pars, quae nunc caput agnoscebatur, paulatim in introitum compelleretur. Doloribus vero mox sedatis cum caput iam complures per horas eodem loco immotum maneret et laboribus frustra continuatis et matri et infanti extrema timeret, medici adiumentum ut absolveretur partus postulavit.

His quae obstetrix nobis narraverat factis in universum spectatis breviter tantum adiungere me liceat, quae nostra ipsorum, quam summa diligentia instituimus examinatio et interna et externa, una cum accurata partus observatione docuit. Aegrota quae graviditatis multis doloribus valde macruerat, longo partus spatio inutilibusque laboribus labefactata, perpetuo conquerebatur de intolerabilibus in regione sacrali et abdominali doloribus; arteriarum pulsus debilis quidem sed frequens, respiratio accelerata, abdomen multis locis facillime externos impulsus sentiebat, uterus

dense circa infantem contractus, cutis calida et male olenti multoque sudore cooperta, caput non affectum, sitis maxima, urina cathetere, exoneratio alvi clysmate aperiente effecta, dolores atonici, irregulares et quamvis saepe reversi prorsus inefficaces. *Rami arcus ossium pubis rostri instar prominentis tam vicini erant ut vix extremo minimo digito inter eos penetrare possemus;* nec omnino eos premi licuit, quin mater summo dolore afficeretur. *Tubera ischii valde appropinquata; quorum ossium mollitiae securitatem quasi in tam gravibus rebus necessariam consequi nequibamus. Os coccygis in pelvis exitum multum prominebat;* vagina et quae adiacent partes, pituita uberrima rigatae fervidissimae erant. De situ autem et conditione capitis partim iam in coangustatum pelvis introitum progressi et subsistentis inopportunis pelvis spatiis et magno capitis tumore nihil certi definiri poterat; oris uteri iam anterius potissimum labium crassum attrectatum est. Accuratam vero columnae vertebralis imaginem omniumque quae in corpore conspiciendae erant deformitatum me adumbrare hic non licet, cum quae eiusmodi explorationi ubique adhaeret commotio parturientis saevissimis doloribus vexatae cruciatum iam auxisset; eadem de causa etiam singula pelvis spatia emetiri haud potuimus. Externa autem feminae examinatio, quoad per habitum in lecto ab ea occupatum licuit, quae nos docuit, ea breviter hic exponam. Dexter humerus et scapula ita sursum mota erant, ut colli paululum tantum conspici posset; sinistrum os ilium dexterum aliquanto superabat et eiusdem lateris costae spuriae intus et sursum coactae erant, vertebris lumbalibus manifeste intus, ossis sacri vertebris magno flexu foras promotis. Brachia et crura paene omnino directa et gracilia erant.

Una hora post altera, quam instituimus, inquisitione totam pelvim mira ratione immutatam esse cognovimus; tunc demum optatam illam ossium pelvis mollitiam et expansionem exstitisse manifeste nobis persuadere poteramus. Contingebat enim nobis ut tubera ischii enormiter inter se adpropinquata pressu quamvis matri maxime dolente paululum removeremus; neque minus manifeste declive redditum anterius pelvis latus reperimus. Dolores vero quamvis multis ad eos augendos adhibitis tamen valde infirmi et dolentes absolvendum partum modo paululum adiuvarunt.

Quare cum nostra ipsorum observatione et iis quae antecesserant nobis persuasum esset, naturae vires multis iam natri boracici dosibus aliisque medicamentis usitatis frustra irritatas ad perficiendum partum haud sufficere, invalidae parturientis viribus longo partus spatio et inani labore periculose contritis comsumptisque, veriti ne in tali rerum statu omnis inanis mora et matri et infanti summum afferre posset periculum, fortius agendum esse putabamus. Ponderatis igitur diligentissime omnibus quae descripsi momentis ac ratione, qua proximum partum natura ipsa eodem prorsus rerum statu etsi minus difficili adiuverat, cum mollitiam et expansionem, quae explorando in singulis pelvis ossibus identidem iam apparuerat, eandem omnium pelvis spatiorum exspectaremus, forcipem adhibere pater meus constituit. Nec diu moratus parturiente in lecto transverso collocata — id quod summo tantum negotio summisque aegrotae doloribus fieri potuit — etsi iniquo pelvis habitu forcipem summa apponebat difficultate, exercitatione tamen ac sollertia, quam triginta per annos sibi paravit, caput infantis apprehendit ita ut nonnullis quae haud magna virium contentione fiebant tractionibus impressione plus quam 2″

in longum et $^3/_4$'' in latitudinem in sinistro osse parientali conspicua emitteretur. Nec ullo negotio reliquus, qui prorsus maturus esse videbatur infans mortuus, cuius pondus, magnitudinem, capitis diametrum me certius definire non posse doleo et placenta prorsus soluta educi poterant. Puer circiter septem librarum iam aliquamdiu mortuus esse videbatur, quod antea iam suspicari nos licebat, cum nulli iam cordis soni audiri possent et defluens interdum partus amnii liquor faeculentum et corruptum et mali odoris, epidermis compluribus locis desquamata esset.

Quod totum opus per horae circiter quadrantem confectum erat, diligenter me pelvis mutationes graves ac miras observante. Urgente enim capite coartatae apertae sunt pelvis portae, anterius eius latus magis magisque planum fiebat, arcus ossium pubis eo magis dilatabatur, quo vehementius caput forcipe tractum per eum premebatur; tubera ischii ut massa recellens — profecto non immodice dico — cedebant — id quod obstetrix, quae manu sublevante perinaeum sustentaverat, optime observare potuit. Perinaeum ipsum prorsus incolume mansit. Quo solo vere miro phaenomeno mollitiae et expansionis in singulis pelvis ossibus et anterioris imprimis lateris et quae pelvis exitum formant ossibus observatae infans carcere quam corruptissimo et deformissimo educi potuit nullo, profecto, modo rerum consideres statum difficillimum, insigni negotio. Verum infante emisso et placenta amota cum diligentius miras illas pelvis mutationes essemus observaturi, rami arcus ossium pubis et tubera iam in pristinum abnormem redierant statum totaque pelvis in pristinam deformitatem et angustias corrugata erat nullo expansionis, quae evenerat, vestigio relicto. Proximae post partum horae, quas apud puerperam iam commo-

rati sumus, nullis molestiis perturbatae sunt. Dolores post partum mox exorti modicam sanguinis profusionem afferentes ad uterum contrahendum maxime valebant. Deinde ubi pater omnia quae ad diaetam pertinent puerperae praescripsit, experientia valde aucta discessimus. Puerperium, quantum comperire potui, iuste transiit, ita ut puerpera pristinis sacri ossis et dorsi doloribus paene omnibus extinctis post XIV dies lectum relinquere posset. Accuratam vero et externam et internam explorationem quominus institueremus pertinacissima impedivit aegrotae pudicitia, quae ut corpus nudatum medico praebeat nullis promissis commoveri potest.

Quod factum priusquam reliquamus, hoc iam nuntiare me liceat eandem Kau uxorem proximo anno exeunte abortum passam hoc ipso tempore in sexto recentis graviditatis mense versari; nec omittam perfecto partu, cuius prognosis non tam fausta est, uberiora proferre. Morbus vero halistereticus adhuc nondum substitisse videtur, gravida femina de acerbis conquerente artuum doloribus, quibus interdum lectulo affixa est. Tertiumne iam felix illud pelvis mollitiae et expansionis phaenomenon exspectari sectionemque caesaream vitari licebit?

Cui gravissimo facto statim adiungam alterum publica auctoritate confirmatum, quod Merremii ornatissimi viri liberalitas publicandum mihi tradidit. Nec mihi temperare possum, quin maximas hoc loco gratias agam summo viro, cuius tantus est tamquam generosus artis medicae amor, ut omnes fere, qui ei student, discipulos complectens paratissimum cuique et utilissimum praebeat auxilium.

Katharina Stolzenberg, e gente Wilberg, triginta octo

annos nata parentibus amissis cum operam suam familiae locasset satis inurbanae, acerbissimo saepius frigore ac tempestate saevissima cogebatur ut in silvam exiret ligna aggestum. Defatigata autem et tota prae gelu et madore contremiscens ubi rediit, madidam vestem exuere perraro ei licebat statim ceteris laboribus domesticis defungenti. Quibus molestiis primum acerbos in regione lumbali dolores exortos esse quis miretur? Nec non verisimile est, morbi paulatim exorti et valde aucti omniumque, quae in totum corpus et pelvim potissimum diffundebantur, vitiorum fundamenta tum iacta esse. Etenim Kilianus, cuius summa est in his rebus auctoritas, libro suo de eodem argumento anno MDCCCXXIX edito, inter causas quae halisteresin adiuvant et excitant, graves quae madendo gignuntur perfrictiones plurimum valere docet. Ut vero, inquit, scintilla gliscens in flammam ardescat acerrimam, his perfrictionibus in feminis ad morbos proclivibus nihil adiungatur necesse est nisi serpens aegritudinis et inopiae venenum, quae omnia in nostro quod narratur facto invenimus XVI annos natae primi acerbis doloribus exstiterunt menses, qui ex eo tempore satis bene et facile respondentes quatuor hebdomadum typo quaternos vel quinos dies fluebant. XXVIII annum agens cum marito suo nupsisset, brevi exorta graviditas facillimum validae adhuc puellae attulit partum nec puerperium ullo modo turbatum est. XXX annos nata cum iterum et graviditatem et partum prosperum esset passa, puerperium minus commodum successit. IX enim post partum diei vespere vehementibus correpta est convulsionibus, quae manus imprimis et digitos afficiebant; media nocte acerbissimi accedebant dolores, qui una cum convulsionibus postero mane minuti sunt,

surditatis in affectis artubus sensu relicto. Nec XIII diebus post alterum partum puerpera lecto relicto nisi summa molestia ac dolore baculo innixa progredi poterat. Quam impeditam crurum mobilitatem fere semper post dolores quos memoravi exortos conspicimus. Pedes tardissimae et quasi resolutae summa corporis contentione trahuntur ac saepissime expedimenta tanta exstant, ut — quod priori facto iam apparuit — feminis fulcra adhibenda sint. Nec vires defectae aut dolorum vis sane acerbissima impediunt feminas quominus incedant, sed ipsae impedimentum posteriori pelvis lateri inesse describunt infirmitatem quandam solidarum partium. Quare magna iis sublevatio afferri potest incedentibus, os sacrum sustentando et pelvim utrinque urgendo. Anno post tertia graviditas, si vires usque ad syncopen paene debilitatas excipias, nullo modo perturbata est. Octo diebus ante legitimum graviditatis finem minimo pariendi labore puer editus est. Postea vero quae puerperam aggressa valde confecit metrorrhagia, placenta artificiose soluta, prorsus remota est. Puer paucis diebus post convulsionibus abreptus est. Quo puerperio cum matris imbecillitas periculose aucta esset, secunda post partum hebdomade in ambobus genibus, in dexteri femoris flexu, in spuriis costis exstiterunt dolores, qui per totas sex hebdomades puerperam quominus surgeret detinebant. Deinde uxoris status magis placebat, donec XXXVIII vitae anno orta graviditas acerbissimos rursus in sacro osse et in duobus pelvis lateribus dolores procreavit. Neque tunc partus aut puerperium male cesserunt. Infans quem ipsa nutriverat post XVIII menses mortuus est hydrocephalo. Quamquam vero incedere facilius paulatim eam licebat, pelvis et dorsi dolores iam non discesserunt. At prorsus

diversum quinta duobus annis post exorta graviditas habuit exitum. Etenim cum orientis graviditatis idem atque proximae esset habitus, altero eius dimidio nec incedere nec stare nec surgere nisi corpore valde pronum flexo poterat. Duobus autem proximis ante partum mensibus dolores in dies crescebant, nec iam cubare nisi in latus potuit, cum supina iacens gravissimo afficeretur cruciatu: vires miserae feminae, quae eodem semper habitu lectulo continebatur, magis magisque tabescebant. Quo malo rursus comprobatum invenimus, quod Kilianus primus animadvertit nullum feminis semel halisteresin expertis maius aut perniciosius imminere periculum, quam alteram graviditatem; quo saepius revertatur eo vehementius ac manifestius crescere morbum; cum oriens iam graviditas feminarum sanitati tanquam consulere videatur, postea malum quasi lucidis flammis iterum prorumpere corpora devastaturum. — XXXI. d. Ian. mane hor. VIII primi dolores orti haud multum valebant. Obstetrix igitur eiusdem diei horis antemeridianis arcessita pauperum medicum Dr. Schilz advocavit qui cum pelvis canalem valde coartatum singulaque ossa flectendo maxime corrupta esse cognosset, partum natura sola fieri posse negavit una cum chirurgo Angenstein sectionem caesaream omnino necessariam esse ratus. Quam cum angusta puerperae domus impediret, parturiens II d. Febr. vesperi hora XII summa diligentia ac cura adhibita in lectica in institutum obstetricium delata primum in tepefacto collocata est lectulo multis quidem difficultatibus, cum lenissimus quisque motus gravissimum excitaret cruciatum; nec cubare nisi in sinistrum latus potuit ciulans semper et conquerens de intolerabilibus doloribus. Quare etsi diligentius instituta observatio summos parturienti excitabant dolores, gra-

vitas tamen rerum eam requirebat. Parturiens est 4′ 6″ magna, pallida specie et maciem praebet paene sceleti, oculi vehementer in cavis subsederunt, lingua arida, musculi languidi et remissi, respiratio citata, arteriarum pulsus debiles 112 per sexagesimam horae partem, abdomen modice extensum et laxum nihil insigne praebet, superiores artus cum libere nec ullo dolore moveri liceat, inferiores nisi magna et dolorosa virium contentione moveri nequeunt: inferiores costae dolentes, totum corpus multo et glutinoso et male olenti sudore contectum. Pelvim commensi has reperierunt dimensiones:

A. Grosses Becken.

1) Entfernung der spinae anter. super. crist. oss. ilium 7″ 6‴.

2) Entfernung der crist. oss. ilium 8″ 9‴.

B. Kleines Becken.

1) Aeussere coniugata 7″ 3‴.

2) Innere coniugata 3″ 5‴.

3) Querer Durchmesser des Beckenausgangs 1″ 6‴.

4) Vereinigungsstelle der absteigenden Aeste des oss. pub. und der aufsteigenden des oss. ischii 7‴.

5) Grader Durchmesser des Beckenausgangs 3″.

6) Höhe der Schaamfuge 1″ 6‴.

Intestina ex artis praeceptis exploratione supinae feminae frustra tentata, cum multa opera digitum indicem circiter 2″ in longum a tergo immitti tandem liceret, os coccygis propulsum sentiebatur. Ambobus autem indi-

cibus digitis, quorum dorsa connexa erant, ingestis cum tubera ischii fortiter premerentur, ossium expansionem manifestam senserunt, etsi multo minorem quam quae in uxore Cl. Prott exstiterat quae parturiens in eodem instituto gravissima praebuerat phaenomena a Kiliano nuper narrata. Os uteri fere $^3/_4$'' dilatatum, nec infantis altius iacentis quidquam contrectari potuit. Quare tum quoque sectionem caesaream, qua sola partum edere posset miserrima mulier, apparabant. Sed praecepti illius memores usu probatissimi, ne vel maxima coartatione sectio caesarea acceleretur, parturientis statu celerrimam sectionem non requirente quae sequerentur immutationes exspectabant. Exploratione igitur X hora mane instituta oris uteri labia inter noctem iam tumida multo planiora, os uteri $1^1/_2$'' dilatatum et membranae ovi inter dolores in vaginam descendentes apparebant. Maxime vero mirati sunt, *quod digito exploranti tanto altius penetrare possent, ut caput infantis praeiacens sentiretur; etiam ossa, quae arcum pubis constituunt, digito pressa magis expandi videbantur.* Validiores et efficaciores dolores sub IX hor. vesp. os uteri plane dilataverant.

Una hora post vesica rupta humorem effudit luridum, fastidiose ac putride olentem, ut foetida eius natura infantem iam emortuum esse satis aperte probaret: nec cordis soni, quos iam statim puerpera vix recepta attenderant, audiri poterant. Liquore amoto caput, cuius ossa mollia ut membranea erant, profundius in pelvim descendit. Ac puerpera acerbis doloribus et longo partu maxime exhausta, ut recrearetur, parvas interdum sorbebat vini portiones. Doloribus vero iam minutis cum secalis cornuti intervallis per quadrantem horae durantibus singulos scrupulos impe-

rassent, tam vehementes altero iam pulvere medicato assumpto exstiterunt dolores, ut caput secundo cranii situ prominens paene sub arcum ossium pubis descenderet. Pelvis ossium mollitia una cum doloribus apertius apparebat, ut auctis et concitatis doloribus capitis multo plus per arcum propelleretur. Impedimentum capiti plane perrupturo, etsi pelvis ossibus aperte distractis canalis ampliatus erat, tamen obstare gravissimum, infantis caput, quod paulatim formatur, angustum et magnus exophthalmus docuerunt. Post semihoram circiter magno labore caput enatum est, cuius maximo circuitu sub arcu haerente *tubera ischii antea 1½″ distantia, tum 3″ seiuncta erant.* Capite vero nato cum dolores diutius cessarent, ubi frustra digitis hami modo in alam immissis partum perficiendum tentavere, obtuso hamo usi hora 6⅔ mane infantem totum eduxerunt; nec magno deinde labore iis contigit, ut digitis indicibus hami modo curvatis arcus ossium pubis distraherent ramos tam molles et ductiles, ut semihora post placentam uno impetu ob sanguinem profusum non solutam, manu cono simili immissa, solvi liceret; in quo manus ingesta pelvis spatia leviter examinare potuit. *Diametri transversi ita decurtati erant, ut nisi superficie manus radiali penetrari non posset.* Os sacrum valde concavum, promontorium modice in pelvim prominebat; et infantis et placentae habitus diu iam emortuum esse foetum docebant. Infans erat 6¾ librarum et 19″ longus, caput eius hos praebebat diametros:

Längendurchmesser 4½″.

Querdurchmesser 4″.

Schiefer Durchmesser 5″.

Infans omnino maturus esse videbatur, placenta erat $^5/_8$ librarum et diametrum 7″ habebat, umbilicus $18^1/_2$″ longus. Infantis sectio haec docuit memoratu dignissima: Cranii ossa iuxta suturas potissimum et fontanellas mollia facile imprimi possunt. In sinistro osse parietali fractura apparet, cuius radii alii per totam ossis crassitudinem penetrant, alii superiorem tantum lamellam attingunt, dexterum parietale os valde foras et retro propulsum est. In dextero ventriculo laterali liquor repertum est faeculentum ac cruori mixtum, in media sutura sagittali sinus longitudinal. superior rimam praebebat, unde sanguinis profusio sub dura matre exorta est. Matris puerperium commode praeteriit. Primo quidem die puerpera valde invalida et confecta. Plenior ei victus et lac praescripta sunt. Tertio die aurium gravitate laborabat, quae duobus diebus post evanuit. De doloribus puerpera nisi cogebatur ut surgeret haud conquesta est. XIII. d. Febr. institutum derelinquere eam licuit, *ossium mollitia iam inter hos ipsos dies observari potuit.*

Horum, quae narravimus, factorum utrumque summa nos docuit perspicuitate, partu oriente ac procedente insignem sane irrigationem, mollitiam, expansionem singulorum pelvis ossium efficere posse, ut intra paucas horas latera adhuc pertinacissime resistentia plenum urgenti infanti praebeant spatium. Ac si iam mira illa, quam dolores in omnibus procreant partibus genitalibus, mollitia iusta nos admiratione afficit, quanto magis illa, quae duodecim nititur factis observatio paene obstupefaciat nos oportet, etiam firma ante ac solida pelvis ossa hac emollienti facultate acerrime immutari. Quid enim valet illa, quae inter-

dum in pariendo conspicitur, mollitia labiorum oris uteri corruptorum cartilaginosae paene duritiae, quid illae, quae intra breve dolorum tempus effici possunt, vaginae angustiae, quibus infans nullo modo emitti posse videatur, quid omnia haec valent prae insigni illa quae totam pelvim in pariendo afficit et omnia eius spatia et diametros immutat, mollitia et expansione, qualem in pelvibus halistereticis identidem examinari licuit! Quae autem de pelvium illarum natura experti sumus certe dignissima sunt, quorum ratio habeatur in usu obstetricio, cum nonnunquam cruentas, quarum prognosis non tam opportuna est operationes recte iudicantibus amoveant. Quoties enim sectio caesarea ut extremum, quod severum praescribit officium, ut vita miserrima servetur, in femina pelvi halisteretica praedita est perfecta, quam accurate fortasse felici illa expansione adhibita vitari licebat! Vehementer equidem doleo, quod pauca quae adhuc examinare ipse potui facta, quibus multa certe alia inique neglecta adiungi possunt, nequaquam permittunt, ut iustae, quae in omnium pelv. hal. angustiis adhibenda sit, rationis indicationes proponam. Quare relicto hoc munere gravissimo iis viris, qui Lucinae officiis iamdiu functi cum doctrinae copia uberrima tum exercitatione laboriose parta utuntur, antequam disserendi finem faciam, iustum exsequi mihi videor officium summam laudem impertiens Kiliano nostro acerrimo veritatis propugnatori. Cuius arma summa doctrina, uberrimo usu, generis humani caritate tanquam corroborata, omnes, qui adhuc repugnant eosque gravissimos viros, ut halisteresin comprobent, brevi adactura esse, sperare me licet.

VITA.

Natus sum Franciscus Robert Bonnae die VI. m. Ianuar. anni MDCCCXXXVII, patre Antonio et matre Elisabetha, e gente Kolb, quod ut Deus optimus maximus diu mihi vivos servet, quotidie precor. Fidem amplector catholicam. Gymnasium Bonnense, quod adhuc eodem directore gaudet clarissimo professore Dr. Schopen, per octo annos frequentavi. Inde maturitatis testimonio dimissus exeunte anno MDCCCLV ab illustrissimo Plücker, rectore tunc temporis magnifico, in civium Academiae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae numerum receptus et ab illustrissimo Kilian, Decano spectabili, in amplissimi medicorum ordinis album relatus sum.

Professores clarissimi, quorum scholis exercitationibusque practicis per quadriennium interfui, hi sunt: Bischoff, Boecker, Busch, van Calker, Helmholtz, Kilian, Naumann, Noeggerath, Plücker, Schaaffhausen, Treviranus, Troschel, C. O. Weber, M. J. Weber, Wutzer, qui me omnes maximis semper beneficiis affecerunt.

Restat, ut gratias quam maximas agam viro clarissimo Prof. Dr. M. J. Weber, apud quem per annum assistentis in anatomia munere functus sum et viro illustrissimo, praeceptori dilectissimo Kilian, qui mihi, per duos menses assistentis munere fungenti maxima dedit benevolentiae suae testimonia.

THESES.

1. *Excisio ad polypos uteri curandos plerumque ligaturae praeferenda est.*
2. *Perinaei suppositio ad partum feliciter perficiendum saluberrima.*
3. *Remedium anceps melius nullo.*
4. *Nullum est specificum signum tumorum benignitatis aut malignitatis.*
5. *Medicamenta specifica non sunt.*